

lagianis distare; illi enim dicebant hominem posse, suo arbitrio, aliquo modo se præparare suis viribus ad gratiam, et ita aliquale meritum in operibus naturæ ponebant respectu gratiæ et vocationis supernaturalis, et consequenter cogebantur dicere infusionem primæ gratiæ non esse liberalem donationem, sed aliquam retributionem, quæ omnia constant ex dictis in lib. 1, et supponuntur aperte in testimonio ibi allegatis, quæ superflue contra catholicam sententiam allegantur. Nam auctores ejus nullum omnino meritum ante primam gratiam ponunt; nec rationem in operibus naturæ admittunt, quæ movere possit Deum ad dandam gratiam, per modum dispositionis, vel congruæ petitionis, vel aliquid simile. Nec etiam ponunt illam legem per modum pacti conditionati inter Deum et nos, sed per modum liberalis misericordiæ jam decretæ et statutæ a Deo; quod si in illa aliquod pactum intervenerit, est respectu Christi Domini tantum, et respectu illius etiam potest esse vera justitia in tali donatione, non quatenus fit peccatori, sed quatenus fit Christo, et est retributio meritorum ejus, non recipientis.

8. *Promissio gratiæ ad quem finem posita.* — *Differt Deus gratiam suam in quantum vult, pro suo arbitrio.* — Addo insuper tantum abesse ut hic modus offerendi gratiam omnibus facientibus quod in se est, diminuat rationem gratiæ seu gratuitæ donationis, ut potius limitet et angustet (ut sic dicam) liberalitatem Dei, in hac universali gratiæ largitione. Nam certe liberalius ageret Deus cum hominibus, si propter Christum absolute et sine ulla conditione decrevisset omnes in particulari sufficienter et proxime vocare ad fidem, etiamsi ex parte ipsorum hominum peccata præcederent, et multiplicarentur, quia hoc modo ad plures talis gratia perveniret. Nunc autem, quia effectus ita ostendunt non ita decrevisse, et circa aliquos ita se gessisse, quia illos vocat, etiamsi nihil fecerint boni, sed potius multa peccata commiserint, alios vero propter peccata non ita vocare, recte intelligimus circa priores liberaliorem extitisse Deum, et hanc esse unam ex profunditatibus providentiæ ejus, quam Augustinus sæpe miratur. Ergo signum est quod promissio gratiæ sub illa limitatione faciendi quod in se est, ad eum finem tantum posita, ut homo non ponat impedimentum gratiæ, non minuit rationem gratiæ in ratione doni gratuiti, sed facit ut tale donum gratuitum non tam effuse communicetur. Ideoque, quando Deus differt per ali-

quod tempus hoc donum, non expectat ipsum hominem ut aliquid faciat quo gratiam promereatur, ut Semipelagiani putabant, sed potius homo expectat Deum, ut sui misereatur, quia Deus, suo arbitrio, et ad ostensionem gratiæ suæ, differt gratiam suam quando et quantum vult, et nihilominus ab homine exigit ut interim impedimentum non ponat, quod rigoris potius est, licet justis, quam liberalitatis.

9. *Argumentum quartum.* — Quartum argumentum non indiget nova solutione; cum enim ostensum sit non esse contra rationem gratiæ, ut certa lege offeratur omni facienti quod in se est, ad non ponendum obicem eidem gratiæ, manifestum est legem vel promissionem factam dicto modo propter merita Christi, non repugnare cum gratia Christi, imo esse maxime meritis et muneribus ejus consentaneam. Nam cum ipse sit universalis Redemptor quoad sufficientiam, debuit omnibus mereri et obtinere sufficientia auxilia gratiæ ad salutem, et remissionem peccatorum obtinendam; sed non obtinuit ut omnibus adultis actu darentur talia auxilia, cum hoc non fiat; ergo obtinuit saltem ut darentur omnibus non ponentibus obicem, et consequenter ut omnibus offererentur, sub ea saltem conditione: Si facerent quod in se est, ne tacitum ejusdem gratiæ impedirent. Nec dubitari potest quin totum hoc potuerit cadere sub merita Christi: nam potius illa de se sufficientia erant ad obtinendum ut omnibus, etiam iniquissimis et rebellibus, daretur talis gratia: de facto autem, propter rationes divinæ providentiæ occultas, noluit merita sua ad hoc absolute obtinendum ordinare, sed cum illa tantum limitatione, ut satis declaratum est. Neque ex hac lege, in dicto sensu lata, sequitur, homini facienti quod in se est, deberi ex vi talis legis, ut jam satis declaratum est, quia solum respectu Christi includit lex illa debitum justitiæ, respectu vero hominis peccatoris, ex sola misericordia, certa lege decreta propter Christum, datur.

10. *Ad quintum argumentum negatur gratiam sequi obedientiam humanam.* — Ad quintum negatur sequela, nimirum, gratiam esse pedissequam liberi arbitrii, seu obedientiæ humanæ, quia licet possit aliqua bona operatio naturalis antecedere, non solum natura, sed etiam tempore, infusionem primæ gratiæ excitantis, nihilominus illud bonum opus non est meritum, nec ratio obtinendi talem gratiam, sed solum deservit ad non ponendum

illi obicem. Hoc autem non satis est ut dicatur gratia subsequi ex naturali bono usu liberi arbitrii, nec ut gratia dicatur esse pedissequa obedientiæ humanæ; nam hæc verba significant consecutionem causalem, id est, ut gratia sequatur ex obedientia humana, ut ex ratione et merito, vel aliquali causa ejus, quod verum esse non potest, nec sequitur ex dicta sententia; sed solum sequitur quod, secundum ordinem temporis, ante impulsus supernaturalis gratiæ præcedere possit aliquis bonus motus naturæ, et quod hic motus possit esse necessarius ad non ponendum obicem gratiæ, quæ justo judicio Dei pro aliquo tempore interdum differtur, et quando postea datur ei qui obicem non posuit, ex pura misericordia datur, non quia sequatur vel debeatur propter opus ejus. Testimonia autem in illo argumento allegata, de operatione pia et meritoria aliquo modo apud Deum supernaturalium donorum intelliguntur, ut lib. 2 late diximus, et de illis verum est, nec ordine naturæ seu causalitatis posse præcedere gratiam, sed subsequi, quia non sunt causa primæ gratiæ, sed effectus; et consequenter etiam verum est nec ordine temporis posse tale opus primam gratiam antecedere; cum causa debeat prius existere quam effectus. Unde ad ultimam rationem ibi positam, facile etiam respondetur ex dicta sententia non tolli necessitatem gratiæ prævenientis, nam hæc semper necessaria est ad opera pietatis, et meritoria apud Deum, etiamsi aliquod bonum opus naturale possit sine illa et ante illam præcedere. Quia tale opus nec tollit necessitatem prævenientis auxilii, ut veram rationem gratiæ in eo impediatur, nec denique tale auxilium dicitur præveniens, quia ante illud nullum bonum opus præcedere possit, sed quia nullum opus pietatis, seu quod possit esse meritorium, vel ratio talis auxilii, illud potest antecedere: quod autem præcedat opus juvans solum ad non ponendum obicem tali auxilio, nec necessitatem ejus tollit, nec aliunde repugnantiam, vel aliud inconueniens inducit.

11. *Ad sextum argumentum, quod Deus expectet voluntatem hominis, responsum est in præcedenti capite.* — Ad sextum, in quo inferebatur Deum expectare voluntatem hominis, jam late responsum est in capite præcedente, negando sequelam, quia potius homo expectat voluntatem Dei, quam Deus expectet voluntatem hominis; nam per legem illam non negandi gratiam facienti quod in se est, non obligatur Deus (ut dixi) ad non dandam gratiam, si velit, homini nondum facienti quod

in se est, vel etiam facienti contra id quod facere potest et debet; sed solum non obligatur dare suam gratiam excitantem ponenti obicem, licet sæpe id faciat, et ideo revera non expectat voluntatem hominis. Quod si interdum differt conferre talem gratiam, non est quia expectet voluntatem hominis, sed quia non tenetur dare illam quam citissime potest, et pro suo arbitrio disponit tempora in quibus daturus est illam; interim tamen, dum illam non confert, non vult ex parte hominis impedimentum, quod magis pertinet ad rigorem et gratiæ restrictionem, quam ampliacionem, ut declaravi; ideoque, licet Deus aliquibus differat gratiam conferre, et tandem illam eis conferat, si non ponant obicem, faciendo quod in se est, non ideo in eis ratio gratiæ destruitur, quia nunquam datur ex operibus eorum, ut putabant Cassianus et alii Massilienses, sed dat ex universali misericordia sua, qua vult omnes homines salvos fieri. Illa ergo argumenta impugnant recte illam propositionem intellectam in sensu Semipelagianorum, qui erit proprie sensus causalis, scilicet, quia homo facit per liberum arbitrium quod in se est, id est, aliquid boni, ideo Deus illum supernaturaliter vocat, seu dat illi primam auxiliantem gratiam supernaturalem; non vero impugnant illam intellectam in sensu pure conditionali, in quo conditio nullam rationem meriti vel causæ includit, sed solam obicis gratiæ negationem, ut satis declaratum est.

## CAPUT XVIII.

QUID AUGUSTINUS SENSERIT DE SUFFICIENTI AUXILIO, AN OMNIBUS ADULTIS DETUR.

Quamvis in superioribus capitibus definitum sit Deum, ex parte sua, dare omnibus hominibus adultis auxilium actuale sufficiens ad salutem, et interdum doctrina Augustini id confirmaverimus; quia vero ejus auctoritas, in hac præcipue materia, magna est, et aliqui contendunt longe aliter illum sensisse, necessarium visum est hoc punctum separatim tractare, mentemque Augustini diligenter inquirere, ut veritas, quam ostendimus, non solum auctoritate ejus non obscuretur, verum potius confirmetur.

1. *Punctum difficultatis primum, de reprobis.* — Primum ergo Augustinus videtur interdum docere, post lapsum Adæ, negare Deum omnibus reprobis auxilium sufficiens. Primum testimonium sit lib. 1 de Corrept. et grat., c. 11,

ubi, distinguens duplex auxilium, unum quo homo possit salvari si velit, id est sufficiens, aliud quo non solum possit, sed etiam velit, id est efficax, subjungit illud prius datum esse primo homini in statu innocentiae, et Angelis, etiam malis, in sua creatione; alias (inquit) quoniam non talis natura facta erat, ut sine divinæ adjutorio posset manere, si vellet, non utique sua culpa cecidissent. Adjutorium quippe defuisset, sine quo manere non possent; et adjungit: Nunc autem quibus deest tale adjutorium, jam poena peccati est. In quibus verbis aperte docere videtur nunc, propter peccatum originale, aliquibus non dari adjutorium quo possint salvari, si velint, id est sufficiens. Qui autem illi sint, explicat, dicens: Quibus autem datur, secundum gratiam datur, non secundum debitum, et tanto amplius datur per Jesum Christum Dominum nostrum, quibus id dare Deo placuit, ut non solum adsit sine quo permanere non possumus, etiamsi velimus, verum etiam tantum ac tale sit ut velimus, in quibus aperte declarare videtur solis prædestinatis hominibus dari gratiam, qua possint salvari, et velint; aliis vero neutram dari: Nam quibus datur (inquit) gratia qua possint, si velint, datur etiam ut velint; ergo e contrario quibus non datur ut velint, nec etiam datur gratia qua possint, si velint.

2. *Secunda difficultas.* — Secundo, sumitur argumentum ex variis locis Augustini, in quibus significat eos, qui non convertuntur vel salvantur, ideo non salvari, quia non ita vocantur, ut respondere et salvari possint: at si talis fuit eorum vocatio, profecto non est sufficiens, quia ut sit sufficiens, oportet ut saltem det posse. Ita vero loquitur quæst. 1 ad Simplicianum: Ad alios (ait) vocatio quidem pervenit; sed quia talis fuit, qua moveri non possent, vocati quidem dici potuerunt, sed non electi. Simili modo, lib. de Prædest. Sanctor., cap. 6, ait: Multi audierunt verbum veritatis; sed alii credunt, alii contradicunt; volunt ergo isti credere, nolunt autem illi, quis hoc ignoret? sed cum aliis præparetur voluntas a Domino, discernendum est utique quid proveniat de misericordia, quid de judicio. Ubi videtur in Deum causam non credendi reducere, nimirum, quia illis non præparatur voluntas a Domino: quibus autem non præparatur voluntas, profecto auxilium sufficiens non datur, nam voluntas non præparatur nisi per auxilium præveniens et excitans, habens paratum auxilium adjuvans ex parte Dei; totum autem hoc includit auxilium sufficiens; ergo his,

quorum voluntas non præparatur, nec auxilium sufficiens datur. Unde cap. 8 ait, qui non veniunt ad Patrem, non doceri ab illo: Nam si audissent, ait, et didicissent, venirent. Unde simili modo subjungit inferius: Quos docet, misericordia docet; quos autem non docet, judicio non docet. At qui non docetur, profecto non recipit auxilium sufficiens ut discat et credat, nam sine doctrina nemo potest discere; et similia sæpe repetit in illo capite, et alia multa habet in libro de Dono persev., ubi in c. 8 notanda sunt illa verba: Non itaque in hominum, sed Dei est potestate, ut habeant homines potestatem filios Dei fieri; ab ipso quippe accipiunt eam, qui dat cordi humano cogitationes pias, per quas habeat fidem quæ per dilectionem operetur. Nam in his verbis significat potestatem filios Dei fieri, non omnibus dari, sed tantum electis; per auxilium autem sufficiens, ex sententia Augustini, datur; ergo, etiam auxilium sufficiens solum electis datur. Et hoc confirmat cap. 14, inter alia dicens, de his qui non credunt: Sed quoniam ut crederent non erat eis datum, etiam unde crederent est negatum; et infra: Si a perditionis massa non sunt gratiæ prædestinatione discreti, nec ipsa eis adhibentur, vel dicta, vel facta per quæ possent credere, si audirent utique talia, vel viderent. Non dantur ergo illis auxilium quo possint credere. Hoc autem est auxilium sufficiens; ergo non eis datur.

3. *Difficultas tertia.* — Tertio, augetur eadem difficultas ex his et aliis locis, in quibus sentit non posse sufficientem reddi rationem ex parte hominum, cur ex pluribus audientibus Evangelium hic ita suadet ut persuadeatur, et ille ita suadet ut resistat, ut, præter citata loca, videre licet libro de Spirit. et litter., cap. 34, et dicta quæst. 2 ad Simplician., et epist. 107 ad Vitalem, et sub nomine Augustini, libro de Prædest. et grat., cap. 15, et aliis sæpe allegatis locis, ubi semper recurrit ad occulta Dei judicia, et ad verba Pauli: O altitudo divitiarum! et: Numquid iniquitas est apud Deum? At vero si utrique homini audienti Evangelium daretur auxilium sufficiens, in promptu esset ratio cur iste crederet, ille non crederet, nimirum, quia, cum uterque possit credere, iste non vult, et ille vult; ergo cum Augustinus sentit hanc differentiam esse divinæ voluntati tribuendam, plane etiam sentit uni illorum per Dei voluntatem dari auxilium sufficiens ad credendum, et non alteri, pro Dei voluntate; unde, libro 2 de Peccat. merit., cap. 17, eandem proponens quæstio-

nem, cur iste velit, ille non velit, non sistit in libero arbitrio, sed recurrit ad auxilium præveniens, quo vel aperitur quod latebat, vel suave fit quod non delectabat. Sentit ergo ei qui non credit deesse, vel illuminationem, vel suavitatem, qua moveri possit ad credendum, nam si nihil tale illi defuisset, non posset inde reddi ratio cur non credat, sicut alius. Maxime autem videtur urgere quod lib. de Dono persev., cap. 9, dicit: Ex duobus jam grandibus ætate impiis, cur iste ita vocetur ut vocantem sequatur, ille autem aut non vocetur, aut non ita vocetur, inscrutabilia sunt judicia Dei. Sunt ergo aliqui nunquam vocati; ergo illi non recipiunt auxilium sufficiens.

4. *Difficultas quarta.* — Quarto, sunt alia testimonia in quibus, saltem de aliquibus hominibus valde malis, videtur docere privari omnino sufficienti auxilio; de obduratis et excæcatis generatim, tract. 53 in Joan., et specialiter de Pharaone, lib. Propositionum ex epist. ad Rom., p. 61, ubi de Pharaone ait, ita fuisse a Deo desertum, ut jam ei non imputaretur quod nunc non obtemperavit, quandoquidem obdurata cervice obtemperare non poterat. Sed illi tantum dicit non imputari, quia talem se præbuit, cui cor obduraretur; ergo, saltem postquam se talem præbuit, privatus fuit sufficienti auxilio, nam si adhuc illud haberet, adhuc illi imputaretur quod non obediret.

5. *Difficultas quinta.* — Quinto, potest hoc confirmari ex illa celebri sententia Augustini: Deus neminem deserit, nisi prius deseratur ab ipso, supra tractata cap. 2, ex qua argumentatur hoc modo: nam in illa saltem supponitur Deum deserere eum, qui se deserit; hanc enim vim habet particula nisi, quæ excipit a regula quam supponit; illa autem desertio non est nisi denegatio auxilii; aut ergo id dicitur propter auxilium efficax, vel propter sufficiens. Primum dici non potest, quia alias esset falsa prior pars, nimirum Deum neminem deserere nisi deseratur ab ipso, quia, quoad auxilium efficax, sæpe Deus deserit justos, priusquam deserant ipsum; et deseruit Angelos, qui ceciderunt; et quoad hanc negationem efficacis auxilii generaliter dictum est: Deus quem vult indurat. Ratio autem est, quia homo non deserit Deum nisi peccando; quando autem primo peccat, jam caret auxilio efficaci: ergo non negatur illi, quia deseruit prius Deum, nondum enim illum deseruerat. Ergo oportet axioma illud intelligi de auxilio sufficiente; ergo saltem illos, qui

Deum semel vel sæpius deserunt, ipsos deserit, negando illis auxilium sufficiens; non est enim aliud deserere quam negare auxilium, unde Concilium Trident., sess. 6, c. 13, inde probat non deesse justis auxilium sufficiens ad servanda præcepta et perseverandum, quia Deus non deserit illos.

6. *Difficultas sexta.* — Sexto, possunt hic etiam induci illa loca Augustini, in quibus, exponendo sententiam Pauli: Deus vult omnes homines salvos fieri, non vult intelligi de omnibus omnino hominibus, quia Deus non vult etiam ex parte sua omnes homines salvare: unde videtur expresse affirmare in dicta epist. 107, aliquos non ideo destitui auxilio salutis, quia nolunt illud habere, sed quia Deus non vult illos salvare; et in quibusdam locis videtur aperte id dicere de parvulis, et in aliis inde sumit argumentum ad adultos, ut lib. 4 contra Julian., cap. 8, ubi infert tantam absurdum, quia alias Deus vellet salvare omnes adultos, inter quos multi sunt sceleratissimi, et non vellet salvare omnes parvulos, qui quoad propria peccata innocentes sunt.

7. *Augustini vera sententia.* — Probatur primo. — His non obstantibus, dicendum est Augustinum nec sensisse, nec sentire potuisse omnes reprobos carere auxilio sufficiente ad salutem, imo e contrario docuisse omnes homines habere auxilium sufficiens ad salutem, vel ad fidem, vel ad servandum unumquodque præceptum, vel cavendum peccatum, in quacumque occasione occurrente. Probo primo in hunc modum, quia Augustinus, multis in locis, docet dedisse Deum potestatem omnibus hominibus ut filii Dei fiant; sed hæc potestas non datur nisi per gratiam prævenientem et sufficientem, ex ejusdem doctrina; ergo sentit omnibus dari vel offerri auxilium sufficiens. Consequentia evidens est. Major probatur, primo ex lib. 1 de Retract., c. 10, ubi, recognoscens locum 1. 1 de Genes. contra Manich., c. 3, in quo dixerat: Illud autem lumen (utique divinum) non irrationalium animalium oculos pascit, sed pura corda eorum qui Deum credunt, et ab amore visibilibus et temporalibus se ad ejus implenda præcepta convertunt, quod omnes homines possunt, si velint, adjungit: Non existiment novi hæretici Pelagiani secundum eos esse dictum; verum est enim omnino omnes homines hoc posse, si velint, sicut præparatur voluntas a Domino, et tantum augetur munere charitatis ut possint; et similia sæpe repetit eodem lib., c. 22, recognoscens alia

verba quæ in libro 18 contra Adimant. Manich., cap. 26, posuerat: *Nisi quisquam voluntatem mutaverit, bonum operari non potest, quod in nostra potestate esse positum alio loco Dominus docet, ubi ait: Facite arborem bonam, et fructum ejus bonum, aut facite arborem malam, et fructum ejus malum, adjungit: Quod non est contra gratiam Dei, quam prædicamus. In potestate quippe hominis est mutare in melius voluntatem, sed ea potestas nulla est, nisi a Deo detur, de quo dictum est: Dedit eis potestatem filios Dei fieri; cum enim hoc sit in potestate, quod cum volumus facimus, nihil tam in potestate, quam ipsa voluntas est; sed præparatur voluntas a Domino.*

8. *Objectio.* — *Retorquetur.* — Dicet aliquis in prædictis locis solum affirmare Augustinum, neminem habere illam potestatem, nisi cui Deus illam dat; nunquam tamen aperte dicere Deum dare omnibus illam; imo, cum dicat Deum dare illam potestatem præparando voluntatem, significat non dare illam nisi per gratiam efficacem: nam de hac sola interpretatur ubique illa verba: *Præparatur voluntas a Domino.* Respondetur in priori loco satis expresse dixisse Augustinum, quod omnes homines possunt, si velint; quod postea non retractat, sed potius confirmat, dicens: *Verum est, etc.* Idem sentit in posteriori loco, cum indefinite dicit: *Quod in nostra potestate esse positum, alio loco Dominus docet;* nam verba Domini quæ inducit, ad omnes homines sine dubio diriguntur. Unde potius ex his locis colligendum est de mente Augustini illa verba: *Præparatur voluntas a Domino,* non limitari ad vocationem congruam, sed utrique eum proportionem accommodari: nam interdum voluntas ita præparatur, ut infallibiter velit, et tunc præparatio fit per gratiam congruam; interdum solum præparatur ut possit facere, si velit, et tunc præparatur per gratiam sufficientem, et hanc præparationem dicit dari omnibus hominibus, ut habeant potestatem filios Dei fieri, id est, ut possint credere, et ab amore visibilium ad implenda divina præcepta se convertere.

9. Et hoc manifeste confirmat l. 3 de Lib. arb., c. 19, ubi hominibus peccantibus, et se excusantibus quod concupiscentiam et ignorantiam vincere non possint, respondet: *Recte fortasse quererentur si erroris et libidinis nullus victor existeret; cum vero ubique sit præsens, qui multis modis per creaturam sibi Domino servientem aversum vocet, etc., non tibi imputatur ad culpam, quod invitus ignoras, sed quod negligis*

*querere quæ ignoras, neque illud quod vulnerata membra non colligis, sed quod volentem sanare contemnis;* qui locus est valde notandus, nam in eo de omnibus hominibus lapsis indifferenter loquitur, de quibus subjungit: *Nulli enim homini ablatum est scire utiliter querere quod inutiliter ignorat, et humiliter confitentem esse imbecillitatem, ut querenti et confitenti ille subveniat qui nec errat cum subvenit, nec laborat.* In quo discursu aperte satis confirmat omnia quæ dicta sunt de progressu vocationis divinæ, nam incipit ab externa vocatione, qua homo saltem potest adhibere diligentiam ad quærendum quod ignorat, et interdum incipit a vocatione ordinis naturalis, quam dum peccator contemnit, altiori vocationi obstaculum ponit. Quod totum nos docuit Augustinus in prædictis verbis; unde etiam confirmat doctrinam supra datam, de homine faciente quod in se est, nec minoris auctoritatis putandus est hic Augustini locus, eo quod ante Pelagium fuerit conscriptus, tum quia in eisdem verbis non omisit Augustinus explicare necessitatem gratiæ, quam etiam ante exortum Pelagii non ignorabat, ut facile constabit verba quæ citavimus consideranti. Tum quia in libro de Natur. et grat., cap. 69, eadem verba recognoscens, Augustinus ait: *Ita exhortatus sum quantum potui ad recte vivendum, et gratiam Dei non evacuavi.*

10. *Probatur secundo ex Augustino.* — Secundum principale argumentum sumitur ex aliis Augustini locis, in quibus Augustinus docet non stare per Deum quominus homo salvetur, et servet præceptum, si velit, quamvis sine auxilio Dei hoc facere non possit, quia auxilium Dei præsto est; ergo supponit ex parte Dei nemini deesse auxilium sufficientem, tum ad observanda præcepta, tum consequenter ad salutem. Consequentia clara est; assumptum vero sumitur ex Augustino, tract. 1 in Joann., circa finem, dicente Deum esse lumen hominum omnibus expositum, multos vero illam lucem videre non posse, *quia peccatis suis aggravantur.* Clarius lib. 2 de Peccat. merit., cap. 17, ubi sic ait: *Ut innotescat quod latebat, et suave fiat quod non delectabat, gratia Dei est, quæ hominum adjuvat voluntates; qua ut non adjuventur, in ipsis itidem causa est, non in Deo, sive damnandi prædestinati sint propter iniquitatem superbiæ, sive contra ipsam suam superbiam judicandi, et erudiendi, si filii sint misericordiæ;* ubi tam de reprobis quam de prædestinatis, confirmat non deesse illis

adjutorium divinæ gratiæ ex parte Dei, licet in iis habeat effectum, et non in illis.

11. *Affirmatur de reprobis Esau.* — Deinde in particulari de uno reprobis Esau id affirmat, dicta quæst. 2 ad Simplician., dicens: *Noluit ergo Esau, et non cucurrit, sed si venisset et cucurrisset, Dei adjutorio pervenisset, qui etiam velle et currere vocando præstaret, nisi vocatione contempta reprobis fieret.* Manifeste ergo supponit illum habuisse auxilium sufficientem, quo posset venire si vellet; si enim non haberet potestatem, non posset de illo vere dici: *Si voluisset, cucurrisset,* nec posset dici vocationem contempsisse, nisi illam amplecti in potestate ejus fuisset. Idem ergo de cæteris reprobis Augustinus intellexit, nec enim de uno major ratio est quam de cæteris; nam licet non omnibus æqualis vocatio detur, nulli nihilominus deest aliquis sufficientem vocationis modus, propter quod dictum est: *Multi sunt vocati, pauci vero electi,* ut eadem quæstione prius Augustinus ponderabat. Item quod isti vocati qui resistunt, ita vocentur, ut eis impudetur non venire, ac subinde habere auxilium sufficientem quo possent venire, si vellent, evidenter docet idem Augustinus, libro octoginta trium Quæstionum, quæst. 68, dicens: *Itaque nec illi debent sibi tribuere quod venerunt, quia vocati venerunt, nec illi qui noluerunt venire, debent alteri tribuere, sed tantum sibi, quoniam ut venire vocati, erat in libera voluntate.* Certe non esset in libera voluntate, si non esset in potestate; unde infra dicit: *Qui vocatus non venit, sicut non habuit meritum præmii ut vocaretur, sic inchoat meritum supplicii, cum vocatus venire neglexerit;* ergo habuit veniendi sufficientem auxilium.

12. *Probatur tertio ex Augustino.* — Tertio, probari hoc potest ex locis Augustini, in quibus docet Deum non præcipere nobis impossibilia, quia cum præcepto offert auxilium, utique sufficientem, quia alias non daret potestatem, nec faceret observationem præcepti possibilem; sic Psal. 56, in principio, ait: *Neque imperaret hoc Deus ut faceremus, si impossibile judicaret ut ab homine fieret; sed considerans infirmitatem tuam defecis sub præcepto? confortare in exemplo; sed etiam exemplum ad te est multum? adest ille qui præbuit exemplum, ut præbeat et auxilium;* et libro de Natur. et grat., cap. 33: *Non Deus (ait) impossibilia jubet, sed jubendo admonet facere quod possis, et petere quod non possis, et adjuvat ut possis;* et cap. 69: *Eo ipso quo firmissime creditur Deum justum et bonum impossibilia non po-*

*tuisse præcipere, tunc admonemur et in facilibus quid agamus, et difficilibus quid pelamus.* Et lib. de Grat. et liber. arbitr., cap. 15: *Quare (inquit) jubet si ipse daturus est? quare dat si homo facturus est? nisi quia dat quod jubet, cum adjuvat, ut faciat, cui jubet.*

13. *Probatur quarto.* — Quarto probatur ex illis locis, in quibus Augustinus docet Deum velle omnes homines salvos fieri, intelligendo distributionem illam absolute et simpliciter, ac sine ulla limitatione. Quamvis enim aliquibus in locis aliter exposuerit illam distributionem, quia de voluntate beneplaciti, absoluta et efficaci locum exponebat; tamen in aliis admittit in Deo aliquam voluntatem salutis respectu omnium hominum. Præcipuus locus quoad hanc partem est lib. de Spirit. et litter., cap. 33, ubi quærens, cum gratia sit donum Dei ad salutem necessarium, cur non omnibus illam donet, cum ipse velit omnes salvos fieri, ita respondet: *Vult Deus omnes homines salvos fieri, et in agnitionem veritatis venire, non sic tamen ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene vel male utentes justissime judicentur. Quod cum sit, infideles contra voluntatem Dei faciunt, cum ejus Evangelio non credunt,* et cætera quæ prosequitur, ostendens, licet Deus velit salvare omnes, eos condemnari qui contemunt ejus gratiam, seu vocationem, de qua in cap. 34 declarat, quomodo a Deo fiat, quia: *In omnibus (ait) misericordia ejus prævenit eos, consentire autem, vel dissentire, propria est voluntatis.* Idem significat in Psalm. 45: *Deus in medio ejus non commovebitur.* Denique hanc fuisse Augustini sententiam satis persuadent Prosperi, Fulgentii et Pauli Orosii testimonia, quibus supra doctrinam ipsam confirmavimus: illi enim ab Augustini mente nunquam in hac materia discreparunt. An vero ab hac regula sit aliqua exceptio admittenda, juxta doctrinam Augustini, respondendo ad testimonia in contrarium adducta dicemus.

14. *Respondetur testimoniis in contrarium adductis.* — Primum testimonium objectum erat ex libro de Corrept. et grat., cap. 11, quod re vera obscurum valde est, quia non facile potest explicari de quo adjutorio Augustinus loquatur. Primo enim ait habuisse Angelos et Adam adjutorium quo possent permanere, si vellent; secundo, dicit tale fuisse illud adjutorium, ut si illo caruissent, licet in hono non perseverassent, non posset eis ad culpam imputari, quia non talis naturæ facti sunt, ut sine Dei adjutorio perseverare in